

II i
479

Q.K.
515
13

Calamitatem inter reges, ut Molan inter nates, principatum
וְכֵן יִהְיֶה לְכָל מַלְכֵינוּ וְלְכָל מַלְכֵי הָעוֹלָם
i. e.
COMMENTATIO
DE

NATVRA AC INDOLE IVVENVM

EX
SALOMONIS SENTENTIA

Prov. xxx, 19.

QVA

ACTVM ORATORIVM

IN

SCHOLA CATHEDRALI

HABENDVM

INDICIT

M. I. G. BIDERMANN

RECTOR.

NUMBURGI,

TYPIS BALTH. BOSSOEGELII PRIV. TYPOGR.



*Red. Jensen
in Plau.*



Salomonem inter reges, vt Mosen inter uates, principatum ob-
tinere, nemo temere inficiabitur. Quo autem excelsiore lo-
co ille erat: eo sublimiora sunt, quaelitteris consignauit, stilo-
que abstruso et acuto conuestiuit. Siue enim uocabulorum
delectum spectes, siue periodos attendas mirifice circutacifas,
siue emblematum ornamenta contempleris, genus scripturae
a uulgari et humili sermone longe alienissimum deprehendes.

Testatum hoc faciunt eius PROVERBIA, quae quantum graueatis, tantum
difficultatis habent; et dum acumine oblectant, simul variae doctrinae inuo-
lucris lectorem exercent. Cuiusmodi σοφιστικὰ προβλήματα καὶ λόγοι
σοφίας iam pridem EVSEBIUS admiratus fuit, a) quamuis non nesciret, pri-
scis sapientiae magistris in more positum fuisse, ut auditoribus plenas bonae
frugis sententias, aenigmatibus conditas, propinarent. Nam quanto aurum
praestat, ex abstrusissimis terrae recessibus erutum, quanto gratior est sapor nu-
clei, duro cortice tecti: tanto iucundiora sunt ac illustriora, quae ex ueritatis
diuinæ abyssu, caelestis beneficio luminis, in lucem prorahuntur.

Quamuis igitur totus hic Prouerbiorum liber nodis suis sit implicatus,
in quibus extricandis tot interpretum ingenia occupata fuerunt: plurimae
tamen difficultates in duobus capitibus postremis, tamquam in alueo, confluisse
uidentur, quas, uel omnino praetergredientes, uel certe in meris coniecturis
haerentes, tacita admiratione nos prosequi oportet. Quid? quod ipse Salo-
mo aperte profiteri non erubescat, se multis quaestionibus in medium prola-
tis, suo ingenio emetiendis, longe esse inferiorem. Audiamus eius uerba,
quomodo *Tria*, inquit, *michi sunt mirabilia, imò quatuor non perspexi: scilicet a-*
quillae uiam in caelo, serpentis uiam in petra, nauis uiam in mari, ודרך גבר בעלמור

Quod ad illa attinet tria priora momenta, nemo nostrum fere tam emun-
ctae est naris, quin ea considerando, eadem, qua Salomo, attonitus admiratio-
ne percellatur. Quis enim, quaeso, aquilae, reginae auium, uiam strauit, cae-
lum uolatu suo attingenti, ceterosque alites cursu suo, inter ipsas nubes, ante-
uertenti? Quis tortuosos illos maeandros peruestigauit, per quos colubri etiam
in praeruptorum et inuiorum saxorum cauernas sese insinuant, ad quorum
adspicuum uisus noster exhorrescit? Et quis, quaeso, tramitem parat nauis
per medios fluctus uehendae? dum *impiae*

Non tangenda rates transliunt uada. b)

Hacc

a) L. I. contr. Marcell. C. III. p. 17. b) Horat. L. I. Od. III.

Haec dum miramur, admiratione dignissimum illud uideatur, quod rex sapientissimus inter cognitu difficiliora hoc existimet difficillimum: **דרך גבר בעלמה**. Quae uerba hoc loco ideo sub examen uocare constitui, quod eas corruptelas atque illecebras produnt, quibus iuuenilis aetas et paret et saepe succumbit, et quas, Salomonis patre, Dauid, duce, oraculo pro rostris sacris cras explicando admoniti, publicarum supplicationum die deprecari iubemur. c)

Nolo autem lectoris patientia abuti, diuersas diuersorum sententias enumerando, quibus haec uerba perturbant magis quam illustrauerunt. Vnum monendum existimaui, quod nempe omnis fere difficultas et admiratio expirare uideatur, si uocabulo **עלמה** adolescentulae notionem adiudicemus. Nam quid, quaeso, admiratione dignum habet *uia uiri in uirgine*? Nonne haec est **דרך כל הדארץ** *uia omnium hominum*? Gen. XIX, 31. Sive enim nomine illa uirginem intelligas, siue scortum; aquam prius ex filice, quam miraculum ex uia uiri in **עלמה** elicies. De illa res in uulgus est nota, quae plerumque ad faciendam libidinem adeo est procliuis, ut uix *Inclusam Danaen turris abenea*

Robustaque fores et uigilum canum

Tristes excubiae muniunt fatis

Nocturnis ab adulteris. d)

De posteriori uero Theologi acutissimi, JO. SAVBERTI iudicium hoc loco facio meum, qui: *ridiculum est*, inquit, *uiam uiri in potiundo scorto inter res maxime incognitas numerare, quum istiusmodi propudia ab aperta corporis uulgatione Prostibula nuncupentur. e)*

si uero putes, negotiosas illas insidias respicere Salomonem, quibus utuntur saepe uiri, uirginem circumuenturi, pro more gentis Iudaicae domi solicite seruatae et inclusam: perpendas uelim, non tantum dubiam adhuc et sub iudice esse litem de uirginibus Iudaeorum domi custoditis, f) sed etiam litteram **ב**, dictioni **עלמה** praefixam ad animum reuoces, quae non uiam AD uirginem potat: alias enim dicendum fuisset aut **אל** aut **על** aut **לעלמה** conf. Gen. VI, 4. XIX, 31. Pl. LI, 2.

His difficultatibus dum obseptam uideo communem sententiam, illi subscribo, quae uerba adlegata ita explicat: *VIA VIRI IN IUVENTUTE*. Quae quidem, quod infra ostendam, quum neque noua sit, neque in fidei

(2

nostrae

a) Pf. XXV. 7. d) Horat. l. III. Od. XVI. e) Palaestr. Theol. Philos. p. 142. f) Hist. debrand. Antiqu. Bibl. p. 110.

no ac capita iniuria: nemo, opinor, uitio mihi uertet, si idoneis argumentis demonstrauero, illos non perperam sentire, qui hoc loco Salomonem de peccatis iuuenilibus loqui, adfirmant. Et ne quid temere dixisse uidear, in causae meae subsidium aduocabo et *contextum*, et *fontium uerba*, et *rem ipsam*, et *uersiones*, et *socios atque duces*, qui facem mihi praetulerunt.

Et *contextus* quidem facile hanc explicationem admittit, quae peccata iuuenilia in medium profert. Licet enim Prouerbia Solomonaea orationis continua tela non pertexantur, sed *miscellam sententiarum sarraginem*, exhibeant, in quibus et ordinem et nexum frustra inuestigamus; illae tamen neque absonae sunt neque alienae, sed ita comparatae, ut iis praecepta sapientiae diuinae, ad omnem uitae rationem pertinentia, tradantur, moresque hominum ad uirtutis stadium feliciter decurrendum formentur et excitentur. Si uera essent et explorata, quae HIERONYMVS g) et LIGTFOOTVS h) adfirmant, Salomonem nempe sua Prouerbia in gratiam puerorum ac iuuenum, sicut Ecclesiasten in usum maturae aetatis uirorum, et Canticum in commo- dum aetate prouectiorum conscripsisse: si salua foret opinio Iudaeorum, Salomonem puerum Canticum, adolescentem Prouerbia, et senem Ecclesiasten litteris consignasse, perhibentium, i) proclius esset, rationem demonstrare, qua adductus, in nostro oraculo deuenit ad adolescentes. Sed haec mittimus, ueluti dubia atque incerta. Rectius ita colligimus: quemadmodum Salomo tria *exempla naturalia* expendenda proposuerat et admiranda: ita ab his progreditur ad *morale exemplum*, non minori admiratione dignum, peruersam nempe rationem, cui homines ad fraudem acuti et callidi, ab adolescentia statim mancipantur. Quia enim ipse iuuenis cum a parentibus, Prov. IV. 3. XXXI. 1. tum speciatim a Nathane, regiae iuuentutis moderatore, 2. Sam. XII, 25. 1. Reg. I. u. summo studio formatus, tantam sapientiam sibi comparauerat, ut omnes suae aetatis magistros longo post se intervallo relinqueret, 1. Reg. IV. 29. nunc demum miratur, se tam feliciter superasse difficultates, quibus ea aetas plerumque premitur, saepe etiam opprimitur.

Neque nostra uersio uim infert *linguae sanctiori*. Quod ut aper- tius constet, singulas dictiones strictim persequamur.

¶ ¶ ¶ igitur hoc loco uiam non notat, quae pedibus teritur, sed sen- su metaphorico indicat *uiuendi rationem, morem, rationem ac ea instituta*, quae sequi solent *adolescentes, suis uoluptatibus indulgentes*. Et quia haec significatio in litteris diuiniotibus est frequentissima, diutius non inhaere- mus, exempli gratia unicum excitantes locum, nostro fere proximum,

Prou.

g) T. VII. f. 31. h) Opp. T. I. p. 75. i) Bayrolacc. Bibl. Rabb. T. IV. p. 373.

Prou. XXVIII, 6. עָשָׂה דְרָכָיו in *biuo peruersus* ille dicitur, qui iusti et honesti limites supergressus, nefarie ab officii ratione declinat. *)

בְּרָא si ex *origine* pensitetur, eum significat, qui *robore et fortitudine alios antecellit*: su *usum* uocis species, saepe *simpliciter uirum inuuit, mulieri oppositum*: imo, ipsum nonnunquam *puerum* exprimit. Hac mente auctor uersionis Arabicae eiusmodi uocabulum adhibet, quod simul et uirum et puerum significat. k) Eadem fere fata Graecorum *αρετην* vel *αρετην* fuit expertum, quod licet natales repetat ex obsoleta radice *αρε*, robustum esse; nihil tamen inuuit amplius, quam hominem generis masculini. l) Eo consilio Targum *Onkelos* uoce בְּרָא utitur, de Caino recens nato exponens, Gen. IV, 1. Ex his uero consequitur, haud nugari eos, qui nostro in oraculo quemcunque iuuenem indicari, arbitrantur.

Sequitur littera ב excutienda, quae praepositionis naturam, more apud populos orientales recepto, refert, et pro argumenti ratione iam *scium aut quietem*, iam *causam, modum et instrumentum agendi*, iam *pretium rei uenditae uel coemtae*, iam *oppositionem* significat. Quo factum est, ut Rabbinii aliud ב *medii*, aliud *auxilii*, aliud *modi*, et aliud *adhaesionis* uocarent. Cuius notio breuissimis illustratur, si dicas, *id* eo innui, *cui aliquid inest, quocunque illud modo fiat*. Ex quo adparet, cur casum sextum uel *Ablatiuum* Grammaticorum filii ea indicent. Nam *Genitiuum* etiam hac littera exprimi, quod *BOOTIUS* statuit, m) uel *Nominatiuum*, quod *HACKSPANIUS* adfirmat, n) facilius dicitur, quam probatur. Et quamuis nonnullis ea exempla euidentiora uideantur, quae speciem habent *casus quarti* cum ב coniuncti, à *GLASSIO* coaceruata; o) plurima tamen eorum ita sunt comparata, ut, *saluo sensu*, ad *casum sextum* reduci possint. Et fac, certis ex locis posse demonstrari, praefixum ב perinde interdum cum ב, ac Graecorum *εν* cum *εσ* permutari: quid, quaeso, necessitatis nos cogit, deserto *significatu priori* ac *frequentiori*, recurrere ad *rariorem* ac *insolentiorum* ?

)(3

que

*) Praetermittere h. l. nolui, quod Lexicographos tantum non omnes praetermisisse, obseruauit: qui dualem huius loci דְרָכָיו ad singularem דֶרֶךְ referentes, Hebraicam punctandi rationem misere turbant. Nisi enim à singulari דֶרֶךְ deriuaueris, tricas nectes. Quam charybdis euitaturus HOTTINGERVS, in Scyllam incidit, terminationem *aiim* faciens pluralem. (in *Erotemat.* p. 40.)

k) Hoc adponere, litterarum defectus uetat. Exhibent illud et illustrant GIGGEIUS in *Theaur. lingu. Arab.* Vol. II. f. 331. et MILLIUS *Diff. select.* p. 251. l) IAMPIUS in *Specim. hieroglyph. de Cedro* §. XI. m) *Animaduersif.* L. II. c. I. p. 111. n) *Miscellan.* L. I. c. V. p. 91. o) *Philol. Sacr.* L. IV. T. I. Obf. V.

Restat tandem dictio עלמה circumspicte euisceranda. Quo prolixius aurem iam dudum de hoc nomine inter Iudaeos et Christianos disceptatum fuit, eo adstrictius hoc loco id persequemur. *Virginem illo insigniri, eamque inuuptam et domi adhuc seruataam*, uno fere ore omnes, sermonis sanctioris periti, confitentur, exemplis confirmati, quae Gen. XXIV, 43. Exod. II, 8. Cant. I, 3. VI, 7. Pf. LXVIII, 16. Ier. VII, 14. leguntur. Hoc uero, quod nunc oculis nostris obuerſatur, oraculum, aegre hanc significationem admittit. Quoniam enim ex *uia uiri in uirgine* nihil sani sensus capi potest; de alia, eaque congrua huius uocis notione cogitare licebit. Ea uero *adoleſcentiae* nomine optime exprimi uidetur. Nam, quo iure ex radice עלם dictiones עלומים et עלמות *iuuentutis* significationem deriuarunt, eodem etiam iure in uocem עלמה illa conueniet. Et si quidem iam commemoratum עלמות cum aliis eiusdem formae dictionibus comparamus, nouo praesidio sententia nostra communiri uidetur. Istarum scilicet ea est ratio, ut *terminatione וית et ה* frequenter inter se permutantur, una et eadem significatione seruata. Sic ignauiam exprimunt per עצלות et עצלה, cogitationem ערה et ערות, עשהה et עשהה, כבלות et כבלה, testimonium ערות et ערות, *escam* ברות et ברה: quidni etiam *iuuentutem* עלמות et עלמה?

Neque est, quod obiicias, hac ratione *duplicem uni dictioni tribui sensum*. Hoc enim aliis uocibus usuuenire, nemo nescit, nisi qui nomina ignorat כלאה plena et plenitudo, בריאה res creata et creatio, בכרה primogenita et primogenitura, בוגרה perfida et perfidia. Roste igitur iudicat Cel. SIMONIS, p) nomina huius caueae tam STATVM notare quam SVBIECTVM: imò uero statum frequentius exprimit formā עלמה, quam subiectum, perspicue docent uocabula אצקה, robur, אשמה, delictum, עולה, iniquitas, etc.

Haec permouisse uidentur quosdam Biblicarum uerſionum auctores, ut בעלמה in *adoleſcentiam* conuerterent. Ita Vulgata: *uia uiri in adoleſcentia*: ita Septuaginta interpretes: *ev υσθητη*: ita Syriaca; reliquae.

Ad rem uero ipsam quod attinet, de qua Salomo disputat, eam nemo facile in dubium uocabit, qui nouit, quibus fraudibus utantur iuuenes ad omnis generis flagitia admittenda, et quam faciles sint ad lapsum, qui aetate florent. Audiamus testes, sua quemque fide conspicuos. Ita HOMERVS; q)

O. 9.

p) Arcan. Form. P. I. p. 257. q) Iliad. ψ.

Οιδῷ οἰαὶ νεὸν ἀνδρὸς ὑπερβασιῶν τελεθροί.

Κραιπνότερος μὲν γὰρ τὸ νεότερος, λεπτή δὲ τὸ μικτός.

et iterum: r) αἰεὶ γὰρ τὸ νεώτεροι ἀφραδέσειν. Ita EVRIPIDES: s)

Κακὸν γέ θνητοῖς τὸ νεός ἐν τῷ τῷ νεῷ

Τὸ μὴ δίκαιον οἰς ἀνθρώπων εἶχει.

cui *Scholiasfes*: adstipulatur, ex poeta anonymo subiiciens:

ἡ νεότης ἀσυφίηλος αἰεὶ θνητοῖσι τετυκται,

εἰ δὲ δίκην βλαπτει, πολλὰ χερειότερα.

Ita ARISTENAEVS: z) αἰ ἐπιθυμία τῶν νεῶν ταχέια. Ita PLVTARCHVS: u)

νεοὶ μὲν καὶ οἴεις καὶ ἰταμοί, περὶ τὰ τὰς οἴεις διαπυροὶ καὶ οἰσῶδες αἰμα-
τος πληθεὶ καὶ θερμότητι. Ita SENECA: w) *iuuenilis ardor impetu
primo furit.* Ita CICERO: x) *Multas natura ipsa adolescentiae vias lubri-
cas ostendit: et alibi: y) Simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni
continuo prauitate et summa opinionum peruersitate uersamur.* Ita PLI-
NIVS: z) *iuuencem in aeterno aetatis non praeceptor modo, sed custos etiam
rectorque quaerendus est.* Ita MANTVANVS: a)

Est opus, ardentem frenis arcere iuuentam,

Nec sinere, in mores luxuriare malos.

In hac omnium autem esto *testimonium diuinum*, sacris litteris consignatum,
et quo grauius uideretur, bis repetitum. Gen. VI, 5. VIII, 21.

Denique si *auctoritatibus aliorum uirorum*, in enodandis litteris diui-
nioribus exercitatissimorum nostram sententiam uelimus corroborare, non
desunt, qui adiecto calculo, eandem eunt probatum. Et iam pridem qui-
dem huius explicationis defensores fuisse, R. ABARBANEL, docet, quum
his uerbis contra illos disputat: *אצלם העתקו ופירושו דרך גבר בעלמא*:
רוצה לומר בעלמא ונערותו ועלמו כאלו היתה מלת בעלמא אלה בסופו
והוא כנזר חם: i. e. *quidam Christiani transferunt et interpretan-
tur VIAM VIRI IN ALMAH, IN ADOLESCENTIA PVERI-
TIA et IVENTUTE sua: quasi Alma in fine haberet Aleph, quum
tamen sit He. b) Quod ABARBANELIS iudicium, ALTINGIO
iudice, c) admodum frigidum est ac futile, quum Chaldaica sit terminatio
in Aleph, et in Hebraico Textu, anomala, neque poscenda ueniat ad conscien-
dam iuuentutis significationem quae hoc, uno praetextu perperam repudiatur.*
Eandem

r) *Odyss.* η. *) in *Andromeda.* t) *Epist.* L. I. u) de uirt. *Moral.* w) in *Orat.*
x) *Orat.* pro M. Caelio. y) *Tuscul.* III. z) L. III. *Ep.* 3. a) *contra iuuenis scrib.*
b) *Comment.* fol. XX, Col. 2. c) *Opp.* T. V. Hebead. *Diss.* III, p. 105

act. 479

Eandem nobiscum sententiam propugnat CORNELIVS à LAPIDE, d) qui ; adeo mirabilis est, inquit, uia hominis in adolescentia, et ita se iuuenis omnibus horis in diuersa torquet, nunc hoc nunc illuc raptus, ut difficile sit, comprehendere et animaduertere, quo tendat. Idem sentit summi nominis Theologus, IO. SAVERIVS, e) ita differens : dicit Salomo, uiam uiri in adulescentia incertam esse, adeoque uersatilem, ut difficulter cognosci possit. Vt chartae angustiae parcam, PICINELLI, f) HVARTI g) et aliorum uerba, nostram explicationem adstruente, praetermitto.

Plura uero de hoc ipso argumento exponent duo iuuenes leuissimi, et cum generis nobilitate, cum uirtutum gloria commendabiles, cras, si Deus fuerit, in arenam descensuri, et dicendo uires suas experturi. A quorum altero

GEORG. FRIDR. de BERLEPSCH,

Equ. Thur.

monitoribus asper
iuuenis

ab altero, autem,

AVG. GVIL. de MARSCHALL,

Equ. Thur.

cereus in uitium flecti
adolescens

uiuis coloribus depingetur. Quod ille quidem carmine Latino heroico, hic uero oratione soluta faciet. Vos, STATORESSCHOLAE SVMME REVERENDI, ET CETERI LITTERARVM PATRONI ATQVE FAVTORES, etiam atque etiam rogo, ut cras, finitis ante meridiem sacris, in nostra bonarum artium officina frequentes conuenire, et dicturos beneuole audire uelitis.


d) *Comment.* ad h. l. e) *Palaestr. Theol.* p. 143. f) *Mund. Symbol.* T. I. L. III. n. 64, et T. II. L. XXIV. n. 80. g) *Scrutin. ingen.* P. 135.



X 266629

MC





Q.K.
515
13.

125

 II c
 479

Salomonis inter leges, ve Molen inter reges, primo quidem
 ...
 COMMENTATIO
 DE
 NATURA AC INDOLE
 IUVENVM
 EX
 SALOMONIS SENTENTIA

PROV. xxx, 19.
 QVA
 ACTVM MORATORIVM
 IN
 SCHOLA CATHEDRALI
 HABENDVM
 INDICIT
 M. I. G. BIDERMANN
 RECTOR.

NVMBV RGI,
 TYPIS BALTH. BOSSOEGELII PRIV. TYPOGR.

*Ex Red. Jenisch
 in Plaoz.*

